

Porphyrius, Iamblichus, Syrianus, Proclus, obiter inter commendandum aliquid pro Platone interponere at eam provinciam aperte qui susciperet, calumnias in auctorem eorum philosophiae ab Aristotele confictas detegeret ac defensaret, nemo est inventus.

5 Nos, quamquam nulla in re eminentissimis illis viris comparandi, audenti satis animo id munus nobis desumpsimus, non aliam ob causam quam veritatis studio atque amore. Cuius veritatis praecipuam curam philosophos, si modo eo nomine simus digni, decet habere atque etiam, ut verum fateamur, quoniam  
10 iustam quandam indignationem in nobis commovet, tam malignum, tam acre, tam acerbum persecutionis ac lacerationis studium ingrattissimi discipuli contra sanctissimum senem deque illo optime meritum. Idque non solum arrogans, delusorium, sed etiam falsum apertissime. Ea falsitas non hac nostra querimonia,  
15 sed re ipsa verborum, sententiarum, calumniarum Aristotelicarum cum Platonicis et verbis et sententiis collatione manifesto apparebit. Quamobrem ipsam rem aggrediamur atque ad hanc praeclarissimam omnium discussionem nos accingamus.

### **Dialectices nomen** [in margine]

20 Primo itaque loco dialecticam, uti aliarum omnium scientiarum ducem attingamus, in qua quidem parcius fuit Aristoteles Platonis accusator, paucioribus enim quam alibi locis eum aperte reprehendit, sed occulte in pluribus ab eo dissentiens. Platonis dialecticam doctrinam non probat. Id qua sit ratione factum  
25 quandoque in errore versentur nostrates isti Peripatetici, qui putant Platonem rem logicam seu dialecticam ignorasse, libet hoc libro ostendere. Cuius rei hoc esto initium.

### **Dialecticae definitio** [in margine]

Dialecticam vocamus, quam Democritus antea, Peripatetici  
30 postea ac Stoici omnes logicam appellaverunt. Zeno Eleates<sup>i</sup>, cui

<sup>i</sup> Corr. ex Cleates